

» procurare possint, et si qui eorum notarii existant, instrumenta  
» per eos confidere non valeant, sed cum auctore damnato damnen-  
» tur. Eorum debitores ab his, quae eis debent liberati existant.  
» Nulli eis, sed bene ipsi aliis super quocumque negotio de jure  
» respondere teneantur: filii quoque et nepotes aliquique descenden-  
» tes eorumdem usque ad quartam generationem ecclesiis, mona-  
» steriis, canonicatibus, dignitatibus et aliis beneficiis et officiis ec-  
» clesiasticis, quae eos tunc obtainere contigerit, sine spe restitutio-  
» nis eo ipso sint privati. Et ipsis ac aliis natis tunc et qui post-  
» modum nascentur usque in generationem praedictam ad illa,  
» quibus sic privati forent et alia ecclesias, monasteria, dignitates,  
» administrationes et officia, aliaque beneficia ecclesiastica, et ad  
» quoscumque ordines et honores ecclesiasticos vel mundanos sit  
» penitus reclusus aditus et ascensus. Et cum salubre existat ac  
» publicae utilitati non parum expedire noscatur, eosdem sic tot  
» censuris et poenis ligatos a Christi fidelium coetu, tamquam  
» membra putrida, ne eorum versutiis alias ad eorum perniciem  
» deducant, segregare, universas et singulas Paduan. Veronen.  
» Vicentin. Brixien. Tarvisin. Pergamen. et aliarum civitatum,  
» terrarum et locorum ditioni eorumdem venetorum obtemperan-  
» tes communitates, universitates, et quas in eis tempore quo  
» praefati veneti privationis juris eorum in illis poenam praedi-  
» ctam incurrent, habitare contigerit singulares personas et gene-  
» raliter quoscumque vassallos eorumdem sic monitorum dicta  
» auctoritate de simili consilio requirimus et monemus, ac eis et  
» eorum cuiilibet mandamus, ut infra sex dies, quorum duos pro  
» primo, duos pro secundo et reliquos duos pro ultimo et perem-  
» ptorio termino eis et cuiilibet eorum canonica monitione prae-  
» missa assignamus, ab eorumdem venetorum et existentium tunc  
» in civitatibus, terris et locis praedictis pro eisdem potestatum,  
» capitaneorum, providitorum et quorumlibet aliorum officialium  
» obedientia penitus et omnino quantum in eis est se subtrahant et  
» illos in eorum superiores nullatenus recognoscant, nec illorum